

25 juristische Abhandlungen.

Wa 36(2)Q

- 1) de blasphemia pars prior. 2.) de poena concubitus a personis per diocesum locum commissori. 3) de reverere illicita ejusque correctione. 4) de prima instantia camerae (Möditz) ista relationibus judicium (Thott). 6) de jure alchymiae (Zena) 7) de bigamiae criminis (Köthen). 8) Thonatii de tortura ex foris christianorum proscriptienda (Halle). 9) de amore venenato Graenide Simonis. 10) de homicidio - zu Art. 148 der p. H.C.O. Kartell (Würzburg) Mit monopoliis dico. in pragmat. Imp. C. sanctionem. (Göttingen) 12) contra incendiorum pericula (Zena). 13) ad legem Aquilam de coacervatis ne- ricorum erubibus (Lauterbach - de Biffignanis). 14) Von bau- fälligen Häusern (Zena). 15) Nach, Vorschlag zur Verminderung der Bettelwesen. (Rothenburg v. Tauber 1798.) 16) de stipendio et officiis. (Zea) 17) de occatione, conceptione, intentione constitutionis criminalis Cartoline. (Halle) 18) de criminis magiae (Halle 1790) 19) de legitimo juris, aggraciandi, utri principiis (Würzburg)

Wa. 36.



20

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
SISTENS GENUINA
DE LEGITIMO
JURIS, AGGRATIANDI, USU
PRINCIPIA.

QUAM,

UNA CUM SUBJUNCTIS EX UNIVERSO JURE POSITIONIBUS
IN ALMA JULIO-DUCALI WIRCEBURGENSI UNIVERSITATE

A U S P I C E

DEO TER OPTIMO, MAXIMO,
ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO,

P R A E S I D E
PRAENOBILI, CLARISSIMO AC CONSULTISSIMO VIRO, AC
DOMINO,

D. JOANNE CHRISTIANO JOSEPHO
FRANCISCO IGNATIO UNGER,

U. J. D. COM. PALAT. CAES. HAEREDITAR. REVERENDISS. ET CELSISS. S. R. I. PRINCIPIS
EPISCOPI BAMBERGENSIS ET WIRCEBURGENSIS, FRANCIAE ORIENTALIS DUCIS &c. &c.
CONSILARIO AULICO, ATQUE IN PRINCIPALI UNIVERSITATE HERBIPOLENSI JURIS
FEUDALIS ET CRIMINALIS, NEC NON PRAXEOS SUPREMORUM IMPERII ROM. GERM.
TRIBUNALUM PROFESSORE PUBLICO AC ORDINARIO, FACULTATIS JURIDICAE

h. t. DECANO,

PRO SUPREMA DOCTORATUS IN UTROQUE JURE LAUREA
PUBLICAE ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

TRIBUS RIGOROSIS EXAMINIBUS RITE TENTATUS ET APPROBATUS

JOANNES CONRADUS JACOBUS WEIS,

Comburgensis,
AUTHOR ET RESPONDENS,
IN AUDITORIO JURIDICO

Die XXX. Augus*ti* MDCCLXXIII. Horis ante & post meridiem consuetis.

Typis Francisci Ernesti Nitribitt, Universitatis Typographi.

ACCEPTE A MELIORIS QVI TIBI D

GU, VENIT A MELIORIS

CONTRARIO CUM TIBI VENIT A MELIORIS

QD PERTINET HABEAT TIBI MELIORIS

CONTRARIO CUM TIBI VENIT A MELIORIS

QD PERTINET HABEAT TIBI MELIORIS

CONTRARIO CUM TIBI VENIT A MELIORIS

QD PERTINET HABEAT TIBI MELIORIS

CONTRARIO CUM TIBI VENIT A MELIORIS

QD PERTINET HABEAT TIBI MELIORIS

CONTRARIO CUM TIBI VENIT A MELIORIS

QD PERTINET HABEAT TIBI MELIORIS

**REVERENDISSIMIS
EXCELENTISSIMIS,
ILLUSTRIMIS,
PLURIMUM REVERENDIS,
PERILLUSTRIBUS AC PERQUAM GRATIOSIS
DOMINIS, DOMINIS,
EQUESTRIS ECCLESIAE COMBURGENSIS**

PRAELATIS
ET
CAPITULARIBUS,
DOMINO, DOMINO,
JOANNI GODEFRIDO
LOTHAR. FRANCISCO
L. B. DE GREIFENCLAU
A VOLLRATHS,
EQUESTRIS ECCLESIAE COMBURGENSIS
DECANO,
NEC NON ECCLESIAE CATHEDRALIS WIRCEBURG.
CANONICO DOMICELLARI.

D. D. JOAN. FRANC. WOLFFGANGO
DAMIANO
S. R. I. COMITI AB OSTEIN,

Domino in Datschitz, Marquards & Wolfschau, Ecclesiarum Cathedr. Herbis. & Equestr. Comburg. Canon. Capitulari, Jubilæo, & Scholaftico, Eccl. Equestr. ad S. Burchard. Heribpoli, & Insign. Colleg. ad S. Petrum Moguntiæ Præposito; utriusque Cæsar. Majest. & Em. Electoris Mogunt. nec non Reverendiss. ac Celsiss. S. R. I. Principis Episc. Bamberg. & Wirceburgensis Consiliario Intimo & Ecclesiastico.

D. D. FERDIN. CHRISTOPHORO
PETRO
L. B. A SICKINGEN,

Ecclesiarum Cathedr. Herbis. Wormat. & Equestr. Comburg. Canon. Capitulari & respective Custodi, Scholaftico, & Jubilæo, Reverendiss. ac Celsiss. Principis Episc. Bamberg. & Wirceburgensis Consiliario Intimo, Regiminis Aulici Præsidi.

D. D. ADALBERTO PHILIPPO DE
HUTTEN
A STOLTZENBERG,

Ecclesiarum Imperial. Bambergensis, nec non Equestr. Comburg. & Bruchsal. Canon. Capitulari, respective Præposito & Cantori, Reverendiss. ac Celsiss. Principis Episc. Bamberg. & Wirceburgensis Consiliario Intimo.

D. D.

D. D. PHILIPP. ANTON. CHRISTOPH.
ERNESTO
L. B. DE GUTTENBERG,

Ecclesiarum Imperial. Bamberg. Cathedr. Wirceburg.
& Equestr. Comburg. Can. respective Capitulari, & Custodi,
Reverendiss. ac Celsiss. Principis Episc. Bambergensis & Wircebur-
gensis Confiliario Intimo, nec non Principalis Senatus Supe-
rioris Herbipoli, ut & Hospitalis Julianæ Praesidi.

D. D. LOTHAR. FRANC. PHILIPPO
CAROLO HENRICO
L. B. DE GREIFENCLAU A VOLL-
RATHS,

Ecclesiarum Cathedral. Wirceburgensis, S. Ferrutii in
Bleidenstatt, & Equestr. Comburg. Canon. Capitulari, ad S. Al-
banum Mogunt. Præposito, & Domino in Bodenheim, Reveren-
diss. ac Celsiss. Principis Episc. Bamberg. & Wirceburgensis Con-
filiario Intimo, nec non Judicij Provinc. Cæsar. Franc.
Ducatus Praesidi.

D. D. SIGISMUNDO MARIA,
L. B. DE REISCHACH,

Ecclesiarum Cathedral. Augustanæ & Ellvacensis, nec
non Equestr. Comburg. Canon. Capitulari.

Salutem vestram solvit me
**D O M I N I S , D O M I N I S
M E I S
P E R Q U A M G R A T I O S I S .**

REVERENDISSIMI,
EXCELLENTISSIMI, ILLUSTRISSEMI,
PLURIMUM
REVERENDI, PERILLUSTRES
AC
PERQUAM GRATIOSI
DOMINI, DOMINI!



*Accipere dignemini tenues
quasdam laboris mei
particulas, quas debitâ
submissione VESTROS ante pedes de-*

po-

pono; nolo hic esse longior, & singula
tam justi desiderii momenta eloqui; VO-
BIS & Publico satis dixisse mibi videor,
si me non uno ex capite perfectè ad id ob-
ligatum confitear. Exiguum quidem mu-
nus est, quod offero, sed majora pollice-
or, si rerum facies, temporis ratio, ma-
turius ætas, & amplior experientia id
permittant. Paucis ab hinc diebus &
animum & vires meas pro VOBIS &
Patriâ meâ obtuli, non privati commodi
studio motus, sed officium boni civis &
subditi præ oculis habens; consilium hoc,
quo justius nescio, adhuc meditor, rur-
susque declaro, & sicuti de VESTRIS
gratiis eximie hactenus in me diffusis sum-

*mopere gloria, ita iis deinceps commen-
dari unice opto, demississimo affectu per-
mansurus*

**REVERENDISSIMARUM,
ILLUSTRISSIMARUM,
ET PERILLUSTRUM
GRATIARUM VES-
TRARUM**

Obsequiis devotissimus & humillimus subdissus

Conradus Jacobus Weis.

D. DEFENDENTI
P R A E S E S.

De solidâ & genuinis Principiis
innixâ hâc Dissertatione tuâ, & om-
nigeni Juris scientiâ, quam assiduo
Labore tibi comparâsti, animitûs
gratu-

gratulor, sincerè optans, ut prome-
rita haçtenùs Corona brevi sequa-
tur. Vale.





PRAEFATIO.

*D*um quædam de legitimo Juris, aggratiandi,
usu principia sisto, absit a me, ut vel su-
premorum Imperantium Dictatorem agere, vel
unum alterumve factum particulare examini sub-
jicere velim; id solummodo hac in materia expo-
nere decrevi, quidquid recte Rationi & Reipub-

A

licæ

—
—

*licet tam sacræ quam profanæ utilitati confor-
mius esse visum est.*

*Positiones meas, quarum paucæ proprio
Ingenio debentur, plurium Doctorum authoritate,
gravium rationum momentis suffulta stabilio,
modestaque demonstro. Cæterum nequis sistema,
aut opus numeris omnibus absolutum a me ex-
pectet; novi ejus imbecillitatem, & quod in eo
justus querit, ipsus desidero; temeritatis tamen
notam evitabo, cum plura & perfectius scribere,
angustiae temporis me prohibuerint. Tuam er-
ga me, Lector! benevolentiam mea in te sinceri-
tas merebitur. Vale.*




DE LEGITIMO
JURIS, AGGRATIANDI,
USU.

§. I.

Antequam de ipso Juris, aggratiandi, usu, quatenus ille Principi competit, agatur, sciendum est, quid per Principem & Jus aggratiandi hic intelligam. Dum Principem nomino, eum puto, quicunque Domi-

A 2 nium,



nium, seu Potestatem supremam in Republica tenet, sive penes unum, sive penes Optimates, sive penes totum Populum simul summum illa Potestas summa resideat; nihil quoque interest, quam Religionem Princeps amplectatur, an infidelis sit, an vero Christianam eamque vel Catholicam aut Protestanticam Religionem profiteatur? sicut enim monentibus D. Petro (a) & Gentium Doctore (b) non tantum propter iram, sed & propter conscientiam, atque ex ordinatione Divina Regibus etiam ethnicis & Ducibus subditos esse oportet; ita pariter avita Religio Jura Majestatis (quo Jus aggratiandi pertinet) Principi sa-
cula-

(a) Ep. I. v. 13. & seqq.

(b) Ad Rom. XIII. v. 1.

culari minimè auffert (c), nec Christus eripit mortalia, qui regna dat cælestia. Neque fœminas hic exclusas velim, quatenus verum Regimen ac Principatum exercent, cuiusmodi exempla tam Antiquitas quam nostra Ætas suppeditat. Econtra de illis Præsulibus Ecclesiasticis, qui nullam Jurisdictionem in temporalibus habent, hic sermonem haud esse patet, quia Potestas Sacra & purè Spiritualis nullam cum Jurisdictione criminali connexionem habet, & Ecclesia, quæ pro fine primario æternam animarum salutem, minimè verò tranquillitatem civium merè externam ac temporalem respicit, correctione potius maternâ, disciplina medicinali, & remediis spiritualibus, quam gladio & sanguinis ef-

A 3

fu-

(c) Hinc CLUSENERUS sine fundamento afferit, Principes Protestanticos quoad Jus aggratiandi majore, quam Principes Catholicos prærogativâ gaudere.



fusione utitur, cum remedia fini proportionata esse oporteat.

§. II.

Ad Jus aggratiandi quod attinet, illud sub triplici sensu accipi potest; primo, quantum denotat liberam facultatem, pro lubitu qualiacunque crimina planè impunita dimitendi, aut pœnam Legibus præscriptam mitigandi, etiamsi nulla justa ratio id suadeat. Tale Jus nulli Principi competere, apud omnes veritatis Amatores facile in confessò est, quia Potestas Principi non ad destruendum, sed ædificandum, non ad evertendam, sed promovendam utilitatem Reipublicæ ex Lege fundamentali Civitatis data fuit (*d*), cui delictorum Impunitas summopere repugnat.

§. III.

(*d*) Hac unâ Reges sapienti Lege creatur, dicere Jus populis, injustaque tollere facta. THEOGON. v. 88.

§. III.

Secundo Jus aggratiandi subinde significat cessationem pœnæ totalem, aut mitigationem, quæ propter defectum circumstantiarum ad pœnam infligendam requisitarum necessariò secundum ipsam Legis rationem ex Justitia fieri debet; sic homicidium justæ defensionis causâ factum nullâ prorsus, culposum verò pœnâ extraordinariâ coeretur. Sed ita Jus aggratiandi valde impropriè accipitur, quia non facultatem, sed obligationem Justitiae strictè talis & necessitatem Legis supponit, adeo, ut Princeps innocentem occideret, & injustè ageret, si pœnam capitalem aut ordinariam dictaret, quod certò gratiæ nomen haud meretur.

§. IV.



§. IV.

Denique Jus aggratiandi designat Potestatem Principi competentem, ex justis causis pœnam, si velit, totam remittendi, vel saltem mitigandi, ita tamen, ut tranquillitati Republicæ sufficienter aliunde prospectum sit (e). Atque hoc est illud Jus aggratiandi, de quo nunc quæritur, quando & qua ratione exerceri possit? Quæstionem hanc assignatis quibusdam Regulis & limitationibus dissolventam esse existimo, quales salvo meliore sequentes erunt.

§. V.

(e) Jus aggratiandi hoc significatu sumtum Principi competere, extra dubium est, prout terminos accuratiū insipienti mox apparebit.

§. V.

In primis necessarium est, sollicitè & prouidè discernere, an id, quod licet, etiam expediatur; siquidem ea, quæ summo Jure permittuntur, sèpissimè minùs conducunt, imo nocent potius, quam prosunt; ac proin, si Jure aggratiandi uti Reipublicæ non expediat, ab eo abstinentur esse patet, quia salus Reipublicæ suprema Principi Lex esse debet, qui non qualicunque tantum, sed optimo modo omnium, ac singulorum civium suorum utilitati vi Officii sui prospicere teneatur; quod certè fieri non posse, manifestum est, si Jus aggratiandi exerceatur, ubi illud minùs expedit, quamvis planè illicitum non sit (f).

B

§. VI.

(f) Unde patet, multò minùs Jus aggratiandi locum habere, quando usum illius planè illicitum esse, constat.

§. VI.

Tametsi verò Princeps in puniendis delictis primariò ad tranquillitatem Reipublicæ externam per crimina læsam respicere debeat, non tamen salutem civium æternam, Deique honorem negligere licebit, tum quia nec tranquillitas externa sine animarum curâ, nec Regio sine Religione subsistere potest (*g*), tum quia testante Apostolo (*b*) Principes non sine causâ gladium gerunt, Deique Ministri sunt, Vindices in eos, qui malè agunt. Unde fluit, quòd Principem magnâ cum circumspectione Jure agratiandi uti deceat, ne facilitas condonandi, occasionem præbeat pec-

can-

(*g*) Hinc etiam Leges Civiles vitia prohibent, ac virtutes morales præcipiunt.

(*b*) Ad Rom. XIII. v. 4.

candi, sed aliorum exemplo reliqui deter-
reantur (*i*); siquidem ignoscendo malis, jux-
ta Salustium, necessario boni perduntur; le-
nitas enim non minùs, quām crudelitas vi-
tium est (*k*) Reipublicæ Sacræ & profanæ eo
magis nocivum, quò certior veritas est, cri-
minibus non satis rigidè punitis, quietis pub-
licæ turbatores, & delicta gravissima inva-
lescere.

B 2

§. VII.

(*i*) Recess. Imp. de Anno 1767. §. Wiewohlen wir, in
verbis „ einen vorgebildeten Spiegel haben. ”

(*k*) Vitium hoc in Imperatoribus quibusdam Græcis
carpit Montesquieu in tractatu de L'Esprit des Loix
C. 21. lib. 7. de la Clemence du Prince; verba ejus
hæc sunt „ L'Empereur Maurice prit la Resolution,
„ de ne verser jamais le Sang de ses sujets; Anastase ne
„ punissoit point les crimes. Izaac l'Ange jura, que
„ de son Regne il ne feroit mourir personne. Ces Em-
„ pereurs Grecs avoient oublié, que ce n'étoit par en
„ vain, qu'ils portoient l'Epée. ”



§. VII.

Ex hoc ulterius consequitur, p̄cnam facilius mitigari, quām in totum remitti posse; dum enim hoc modo crimen non penitus impunitum manet, Legi non tam grave vulnus infligitur, Reipublicæ saltem aliqua satisfactio præstatur, ejusdemque membris singulis horror quidam incutitur, & sic Societatis tranquillitatem adhuc in tantum stabiliri extra dubium est,

§. VIII.

Atque hæc sunt generalissima, quæ hucusque exposui, Principia; ad magis specalia nunc transeo, eaque in ipsis diversis delictorum determinationibus ostendo. In primis verò magnam inter delicta manifesta & occulta differentiam reperio; siquidem hæc faciliter

facilius (*I*) ac illa, condonationem admittere videntur, quia cessante publico scandalo, etiam pena publica, quæ propterea infliguntur, mitigari poterit.

§. IX.

Intuitu ipsarum Personarum delinquentium hoc præcipue observari meretur, quod Princeps, si nimia sceleratorum multitudo ad-

B 3 sit,

(*I*) Non ergo universaliter dicitur, quod quoad dilecta occulta indistincte gratia conferri queat; non enim de mere internis, sed externis actibus flagitiosis hic sermo est, per quos semper Salus Reipublicæ lœditur; imo si hoc concederetur, occulti nebulones (licet periculosiores sint) melioris, quam aperti Reipublicæ turbatores, conditionis forent: quare, dum hoc casu gratiæ locum facilius esse posse statuitur, id nullo modo in favorem ipsorum delinquentium afferitur, sed res unicè credit ad rationem scandali & terroris quoad reliquos concives.



fit, vel universa Respublica peccet (v. g. dum integer populus aut exercitus rebellat) quos-dam reos per decumationem aut sortem pœ-næ subjicere, reliquos servare possit, ita ta-men, ut Laternariis & Antesignanis non par-catur; hâc enim ratione, dum metus ad om-nes, pœna verò ad paucos perveniet (*m*), Princeps crudelitatis notam evitabit, simul-que vel sibi, vel Reipublicæ Satisfactionem præstando, reliqua illus membra servabit, qui-bus omnibus trucidatis, ipsi quoque Civita-ti noceret, vel eam penitus extirparet.

§. X.

Verum ex Affectu merè privato, sive favore, vel amicitia summi Imperantis vel com-

(*m*) Seneca lib. 2. de ira.

commendatoris, aut propter commodum
privati cuiusdam Jus aggratiandi nunquam
exerceri valet, cum exinde ingens Reipub-
licæ vulnus non possit non infligi; quomo-
do enim Cives a vitiis pœnæ formidine absti-
nebunt, ubi viderint, maximis etiam delictis
perpetratis, ad evitandam pœnam non nisi ali-
quo potentiore suum apud Principem Amicō
vel Intercessore opus esse? quomodo singu-
lorum Civium securitas sarta tecta servabitur,
ubi præpostero affectu omnia susque deque
vertuntur? quomodo Principis & Legum
auctoritas inviolata manebit, quodsi illarum
Dictator & Vindex ipsemet eam imminuat
(n)?

§. XI.

(n) Non est, cur id à bonis nostris Principibus me-
tuamus; aversantur sane Jura in salutem Civium aut

nul-



§ XI.

Ne tamen illicò affectum privatum, aut favorem personalem dicas, si Imperans in statu Monarchico sive strictè sive minus strictè sic dicto in spectabile quoddam suæ Civitatis membrum pœnam positivam pœnâ ordinariâ apparener mitiorem decernat; enimvero id Principem (nisi Justitia vindicativa summam æqualitatem requirat) finè Publici scandalo tutò facere posse, ex eo patet, tum quia reliquos Cives Reipublicæ principaliores saltem opprobrii metus, boni Principis, fortunæ & auctoritatis jactura, quam timent, in obsequio

nullum aut nocivum influxum habentia felicis Europæ Principes, populorum suorum revera Patres, qui, ut nil nisi æquum & justum præcipere nôrunt; ita in Præceptis exequendis rectam Rationem habere ducem sibi gloriæ ducunt.

quio continet (o), tum quia dignitas personæ etiam pœnæ gravitatem auget, adeoque, salvâ sub datis limitibus sic æqualitate, inferioribus Civibus nulla conquerendi ansa præbetur.

§. XII.

Sicùt autem ipsæ Personæ delinquentes, ita & illæ, in quas crimina committuntur, hoc loco considerandæ sunt; quodsi crimen adversùs ipsum Principem fuerit commissum, in arbitrio ejus consistit, an rigidè pœnam exigere, an eam ex Gratia remittere velit;

C imò

(o) Rationem hanc mihi suppeditat supra laudatus Montesquieu in citato loco per verba. „ Les Grands y „ sont si fort punis (dans la Monarchie) par la disgra- „ ce, par la perte de leur fortune, de leur credit, de „ leurs habitudes, de leurs plaisirs, que la rigueur à leur „ egard est inutile. „



imò magni Animi signum est, si Princeps injuriam sibi illatam merâ Gratiâ vindicet (*p.*)

Quoad privatam summi Imperantis Vindictam hoc admitti posse existimo, sed Saluti Principis ac Reipublicæ tunc consuli vix credo, si crimen, de quo quæstio est, atrocius fuerit; vilia quippe Ingenia bono Principe abutentur, & boni Cives, quibus honestum pectus est, sceleratum respuent, nec sine maximo dolore eum in societate tolerabunt, qui sanctam Principis optimi Personam vel verbo vel facto lädere non dubitavit.

§. XIII.


(*p.*) Leg. un. C. Siquis Imperatori maledixerit. L. 2.
de reb. Cred. MYLER. de Principibus & Statibus Imp.
part. 2. c. 50. §. 18. p. 472. LIMN. L. 4. Jur. publ. c. 7.
§. 284 p. 262.

§. XIII.

Verum in delictis contra Proximum admissis, ubi pars læsa simul indemnitatem Jure Naturæ debitam petit, summus Imperans Indulgentiam (siquam dare possit,) ita regulariter concedere debet, ne læsus à Justitia excludatur (q); cùm enim subditis, qui omni Ju-

C 2 ris-

(q) AEROD. rer. Judic. f. 566. JUL. CLAR. lib. 5. Recept. sent. §. fin. q. 59. n. 3. Hanc in rem SENECA lib. 1. de Clement. cap. 20. ita scribit: „ Duabus de caufis Prin- „ ceps punire solet, si aut se vindicat, aut alium;.... „ illum hortamur, ut manifestè læsus, Animum in po- „ testate habeat, & pœnam, si tuto poterit, donet, sin „ minùs, temperet, longeque sit in suis, quam in alienis exorabilior injuriis; nam sicut non est magni Ani- „ mi, qui de alieno liberalis est, sed ille, qui, quod al- „ teri donat, sibi detrahit, ita clementem vocabo non „ in alieno facilem, sed eum, qui, cùm suis stimulis ex- „ agite-



risdictioni privatæ renunciârunt, non aliud, Jus suum consequendi, remedium supersit, quâm supremi Imperantîs Auëtoritas, nemo non videt, eum hoc suo Imperio directè abusurum, & Defensionem, quæ cuilibet Jure Naturæ competit, interversurum, si lædentem ab obligatione præstandi id, quod læso debet, ex merâ Gratiâ eximere vellet.

§. XIV.

In criminibus, quæ ipsi Deo optimo maximo injuriam speciali ratione inferunt, Jus aggratiandi propriè sic dictum non potest habere locum; cum scilicet tanta sit horum delictorum, quorum sola mentione viri intrepidi pavent, atrocitas, ut nulla pena satis apera

„ agiterur, non profilit; qui intelligit, magni Animi
„ esse, injurias in summâ Potentiâ pati. „

pera pro iis decerni a Principe valeat, cùmque ea supremi Numinis Veneratio apud Principes Dei Ministros, ejusque veros subditos esse debeat, ut nihil omnino de Honore illius dedere patientur, sed talia delicta secundum Legis rigorem puniantur, unusquisque facile largietur, omnem hìc Indulgentiam exulare debere (r). Huic fundamento, quod assertum meum sufficenter sustinet, accedit adhuc illa ratio generalis, nempe salus Reipublicæ; huic talis Gratiae concessione immane quantum præjudicari, indubitate veritas est,

C 3

cùm

(r) Nisi tam graves rationes & circumstantiae relevantes concurrant, ut piè ac prudenter censeri queat, ipsum Deum, si visibiliter aedesset, tanquam Ens infinitè Justum & Misericors in tali casu Reo pœnam esse remissurum aut mitigaturum; sic tamen Princeps Voluntatem Dei potius declarare, quām Gratiam verè concedere, dicendus est.



cum experientia Satis commonstret, in qualibet Societate rectoria eam esse obedientium indolem, ut delicto enormi aut excessu graviore vel semel remisso, ad alia delicta sine scrupulo ruere soleant (s).

§. XV.

(s) Sive ipsum delinquentem, sive reliquos Cives hic intelligam, res clara est; de illo in primis certe nil boni sperare licet; qui enim tam perfidae frontis erat, ut ipsum Sanctissimum Numen aggredi non perhorresceret, is nugas agere sibi videbitur, quidquid mali suis concubibus intulerit; hi vero ex delicti enormis Indulgentia mox ad idem, vel saltem ad leviora sibi quodammodo Jus quæsitum esse prætendunt, præsertim si tales sint, qui formidine poenæ tantum peccare oderunt; licet autem vel maximè verum axioma sit, quod uni Gratia, alteri vero, qui eam non recipit, nulla injuria fiat, vile tamen id genus hominum ignorat, vel saltem scire non vult, Privilegia esse strictissimæ interpretationis.

§. XV.

Magnum quoque discrimen obtinet inter delicta soli Juri Humano contraria, & scelerata Jure Divino positivo pœnalter prohibita; siquidem in delictis primi generis Gratia facilius concedi poterit (*t*); In criminibus verò, quæ Jure Divino positivo sunt prohibita, quibusque simul sanctio pœnalis adjecta est, juxta

(*t*) Pro hac thesi, posito semel Jure aggratiandi, argumentum hic adducere, frustaneus labor esset; quoad positionem verò contradistinctam differentiæ loco id addi posse arbitror, quod in Legum Humanarum executione Princeps versetur ut Imperans, adeoque vi Majestatis veniam largiri possit; quoad Leges verò Divinas suo sensu se habet ut Judex, in specie sic dictus; sicut ergo Judex Legum sui Principis sententiam sequi tenetur, ita & Princeps de tenore earum Legum, quæ à summo Principe ac Domino Dominantium descendunt, mutare nil poterit.



ta plurium Doctorum (*u*) sententiam, & rationem supra §. 15. assignatam, Dispensatio nullo modo locum habet.

§. XVI.

Hic tamen observanda est differentia inter crimen Jure Divino positivo universali, & particulari pœnalter prohibitum; primum scilicet Jus, cùm ad omnes homines seu Imperantes, seu parentes pertineat, etiam tunc, si de Jure aggratiandi quæritur, communiter sese exserit (*x*); posterius verò, cùm unum solummodo populum ex speciali ratione respiciat,

(*u*) Inter plures hic tantum referre juvat SUAREZIUM, LIMNAEUM, DAMHOUDER, CLAUSEN, LEISER, KNIPSCHILD, MYLER, BODIN, MASTRILL.

(*x*) V. §. 15. & 16.

spiciat, ab illo tantum Populo, non autem ab aliis, quibus promulgatum non est, considerari debere, in aprico est (y).

§. XVII.

Multum etiam interest, quo animo, quaque ratione delicta, cujuscunque generis sint, committantur; ubi scilicet major malitia & obstinatio animi subintrat, quæ reum venia indignum facit, omnino gratiam restringi debere, non immerito asseritur, præsertim si criminis frequentia accedat, & pœnam potius

D

ex-

(y) Ex hoc patet, crimen, quod apud Israelitas indispensabile fuit, à modernis Principibus, suppositis supponendis, omnino dispensari posse, cùm hæc Lex pro solo Populo Israelitico lata fuerit, adeoque ad alios se se non extendat.



exasperari, quām remitti suadeat; hinc Prin-
ceps in homicidio per iram vel ebrietatem
minūs perfectam perpetrato, pleniorē, quām
in doloso & præmeditato homicidio, assassi-
nio, parricidio, similive enormi delicto vel
plurium gravium scelerum concursu, faculta-
tem condonandi habet.

§. XVIII.

Denique quidquid justi inest Juri aggra-
tiandi, id ex Veritate ac Justitia causarum de-
pendet, quæ, si non singulæ, saltem collectæ
sufficient (z). Quænam verò justæ causæ in
spe-

(z) ZIEGLER de Jur. Majest. lib. 1. c. 8. §. 8. Cons.
Tübing. Vol. 6. Cons. 84. n. 160. WALTER in tract. de
Prin.

specie tales sint, id ob delictorum & circumstantiarum varietatem determinari non potest, sed pio ac prudenti Principis arbitrio relinqu debet, pro quo semper in dubio, quod justè pœnam remiserit, præsumtiœ militat.

§. XIX.

Neque Regulis & limitationibus hucusque recensitis Ecclesiæ Romano-Catholicæ pro reis capitalibus quibuscunque olim apud Principes intercedentis disciplina obstat; præterquam enim, quod Episcopi pro delictis contra ip-

D 2 sum

Principe ex just. caus. delinquentes aggratiante c. 2. §.

18.-19.-28.



sum Clerum & Ecclesiam commissis plerumque intercesserint, (aa) ut, quam de inimicorum dilectione proponerent, Christianam Doctrinam proprio magis exemplo confirmarent, nemo sanè inficias ibit, sola Intercessorum auctoritate Jus aggratiandi haud esse stabilendum, utpote quæ in omnibus etiam gravioribus sceleribus fieri solent, quin tamen propterea semper Gratiæ locus sit; cæteroquin maximi nebulones, qui Patronos fortè inventiunt, melioris conditionis forent, quam minorum delictorum rei, qui Intercessoribus sunt destituti, quod tamen fini Societatis & rectæ rationi non convenit. Adde, quòd ex eadem

Eccle-

(aa) Prout ex Epistolis D. AUGUSTINI pro Donatistis Clericorum occisoribus apud Marcellinum & Anringium Comites intercedentis patet.

Ecclesiæ disciplina in homicidas & malefactores obtenta venia servatos tam rigidæ pœnitentiæ decernerentur, ut vita eis verum supplicium, mors verò solatium videretur, & qui brevi suppicio non fuerat consumtus, is juxta S. BERNARDUM diuturno pœnitentiæ cruciatu & morte longissima moreretur; atque hujus rigoris plurima exempla suppetunt; sed unicum hic memorare sufficiat, quod Annales Franconici referunt (*bb*) de Nobilibus Bodone à Rabenspurg, & Henrico de Falckenberg, eorumque sociis, qui Rdmum ac Celmum Principem ac Episcopum Wirceb. CONRADUM I. crudeliter trucidarunt. Quisquis hæc vel similia legit, ex usitatis olim Intercessionibus Episcoporum, piæque Matris Ecclesiæ con-


D 3 fuetu-

(*bb*) LUDWIG. Chronic. herbip. pag. 1202. & seqq.



suetudine illimitatum & arbitrarium Jus ag-
gratiandi non adstruet, quo delicta quælibet
(præsertim antiquo pœnitentiarum rigore jam
cessante) passim impunita relinquuntur; imò
verò ipsimet Summi Pontifices hanc mentem
Ecclesiæ nullatenus fuisse, vel exinde satis de-
monstrarunt, dum Afyla variis atrocioribus
sceleribus expresse denegarunt.

T A N T U M.



CO-

POSITIONES EX UNIVERSO JURE.

EX JURE NATURAE.

I. *Jus Naturæ constituit ipsa Voluntas Dei, quæ per rectam Rationem ex causa tum efficiente tum finali Creationis facile cognoscitur,*

II. *Hæc Religionem tam internam, quam externam homini præcipit,*

III. *In certis circumstantiis sui mutilationem, suicidium in nullo casu permittit,*

IV. *Læso in lædentem Jus tribuit,*

V. *Nulli Hero Jus vitæ & necis plane arbitrarium suos in servos concedit.*

EX JURE GENTIUM.

I. *Jus Gentium strictè sic dictum, sive in ipsa rerum Natura & Essentia fundatum, a Jure Naturæ quidem distinctum non est, separatam tamen Doctrinam efficit.*

)

II.



II. Omnes Gentes Superiorem & Principem alterius
Gentis legitime constitutum pro tali agnoscere tenentur.

III. Genti perfecta incumbit obligatio; fines alieni
Territorii nullo modo turbandi, & ab omni ejus usu, ni-
si concessio desuper facta sit, abstinendi.

IV. Jus Littoris, quatenus exercetur circa res Nul-
lius, quæ in Littore Maris inveniuntur, Justitiae nullo
modo repugnat; quatenus vero exercetur circa res iactas,
aut naufragio amissas, & ad Littus appulsas, nullo modo
defendi potest.

V. Jus Albinagii mutuis Gentium erga se invicem
Officiis obstat;

VI. Tolerari tamen potest Jus Detractus, quatenus
id ita exercetur, ut inter partem bonorum, quæ Fisco re-
linquenda sunt, & damnum, quod ex tali transportatione
Respublica sentit, proportio adsit.

VII. Gens læsa lædentem, si res amicabiliter confici-
nequeat, bello recte persequitur;

VIII. Pace se mel inita, neque læsionis, neque vis aut
metus exceptioni locum esse, ipsa Natura Transactionis
publicæ docet.

IX. Praescriptionem non solius Juris Civilis inven-
tum

—————
tum esse, sed Jure Gentium quoque subsistere, non uno
argumento demonstrabitur.

EX JURE LEGATIONUM IN SPECIE.

I. Legatus est Mandatarius Gentis ad Gentem missus,
ut negotia publica sibi commissa ibidem expedit.

II. Tametsi Gentes ad Legatorum admissionem secun-
dum officia absoluta regulariter perfecte sint obligatae, ex
iustis tamen causis eos subinde rejicere possunt;

III. Semel admissi inviolabiles sunt, & ab omni Po-
testate Civili illius Gentis, ad quam mittuntur, immunes;

IV. Hoc non obstante, coerceri ibidem possunt, si
crimen adversus Principem, sive Rempublicam commit-
tant;

V. In Territorio Gentis, ad quam non mittuntur,
existentes, se habent ut Cives temporarii, hinc & ibi effe-
ctus Potestatis Civilis agnoscere tenentur.

EX JURE PUBLICO UNIVERSALI.

I. Homines, qui tanquam Natura aequales nullum in terris Superiorem agnoscunt, felicitatis suæ promoven-dæ causa sese unius Imperio voluntarie subjecerunt,

II. Summo huic Imperanti, ut finem istum eo facilius consequatur, Dominium Eminens in Bona, & suo modo in vitam subditorum suorum recte afferit,

III. Non tamen, ut Machiavellus ait, ei Potestas illimitata competit, sed salus Populi ipsi pro norma esto,

IV. An vero Potestate sua recte utatur, an hic & nunc ea abutatur, subditi non est, examinare,

V. Imò, si vel maxime notoriam injustitiam commiserit, nunquam tamen, ut detestanda Monarchonachorum sententia afferit, suis a subditis puniri potest.

EX JURE CANONICO PUBLICO.

I. Verum in sua Ecclesia Regimen Hierarchicum Christus instituit, hinc absque fundamento afferitur, eam esse

esse tantum Collegium aliquod æquale Docentium & Au-
dientium.

II. Ecclesiæ Universalis Caput visibile, Christique in
Terris Vicarius est Romanus Antistes, qua S. Petri Suc-
cessor,

III. Hic non tantum Prærogativa Honoris ac Digni-
tatis, sed etiam Autoritatis, Potestatis & Jurisdictionis
in tota Ecclesia eminet;

IV. Cæteri Episcopi ad regendas Ecclesias suas ab ipso
Spiritu Sancto constituti in Reginine universæ Ecclesiæ &
ipsi suas partes habent;

V. Presbyteri quoque curati positi sunt a Spiritu
Sancto, regere & pascere Christi Gregem, subditosque ha-
bent, in quas Sacram Potestatem, dependenter ab Episco-
pis, exercere possunt;

VI. Jus proinde Sacrorum, quod in statu Naturali
fuit penes singulos, in Sociali vero potuisse concedi Princi-
pibus, ipsis a Christo concessum non est;

VII. Eis tamen in Ecclesia competit Jus Advocatiæ
& Protectionis;

VIII. Sicut autem Jurisdictio Ecclesiastica non est



pars Imperii Civilis, ita nec Potestas Civilis qua talis Potestati Ecclesiasticae subest.

IX. *Pro Libertate Germaniae regulam constituant Decreta Basileensis, quibus tamen per Concordata Nat. Germ. valde fuit derogatum;*

X. *Concordatis hisce praescribi posse credo, ea vero a S. Pontifice ex plenitudine Potestatis abrogari posse, non existimo.*

XI. *Novioribus temporibus per Pacem Westphalicam Episcoporum Germanicæ Potestas respectu Protestantium non sublata quidem, sed tamen suspensa est;*

XII. *Contra hanc Pacem Religioni Catholice in abstracto summe prejudicosa Jure suo, & non sine omni effectu protestatus est S. Pontifex.*

EX JURE CANONICO PRIVATO.

I. *Capitulum, Sede vacante, de Feudo reverso regulariter infeudare nequit.*

II. *Decimas, quas Clero nostro porrigitur, Jus Divinum non præcipit;*

III.

-
- III. *Laici earum absolute non sunt incapaces;*
IV. *Jus Decimandi, quod ex Privilegio competit,
ad Novalia extendi nequit, utpote quæ Parocho debentur.*
V. *In dubio: cui onus Fabricæ incumbat? ad id De-
cimator Laicus in regula concurrere tenetur;*
VI. *Patronus Jus sterile habens, ad suscipiendum
hoc onus quidem non obligatur, id tamen omittendo, sibi
præjudicare potest.*
VII. *Clerici ex recentiore Disciplina sunt Domini
bonorum superfluorum vi Tituli & Beneficii aquisitorum.*
VIII. *Simoniacum est, dare quid pro Ingressu in
Ordinem Religiosum.*

EX JURE PUBLICO IMPERII ROMANO - GERMANICI.

- I. *Forma Imperii R. G. in peculiari quodam siste-
mate propriis Legibus fundamentalibus nixo constituitur;*
II. *Majestas in solo Imperatore residet,*
III. *Exercitium vero Jurium Majestaticorum est
valde limitatum.*

IV. *Vi-*





IV. Vicariis Imperti ea Potestas est afferenda, quæ ad unitatem in Imperio conservandam requiritur.

V. Capitulatio Cæsarea nonnisi secundum quid Legem Imperii universaliter obligantem constituit.

VI. Jus, reformandi, mero in primis usu a Statibus exercitum, per constitutionem Pacis Westphalicæ ipsis fuit relatum;

VII. Limitatum tamen est quoad Subditos, qui anno 1624. vel publicum vel privatum Sue Religionis Exercitum habuere;

VIII. Ipsi enim, non quidem in statu, qui dicto anno fuerat, bene tamen in Possessione exercitii Religionis hoc anno habita sunt relinquendi,

IX. Quatenus ergo hac Possessione tuti sunt, eis vis inferri nequit, contra Simultaneum tamen innoxium a Dominio Territoriali introducendum conqueri non possunt.

X. Jurisdicção Ecclesiastica nova per Pacem Westphalicam Statibus asserta, etiam Dominis Catholicis in suos subditos Protestantes competit;

XI. Eadem quoque Summis Imperii Tribunalibus in causis Protestantium tam Statuum, quam Subditorum in Appellatorio Judicio recte afferitur.

XII. Do-

=====

XII. Dominus Territorialis Pacto suis cum subditis
inito modum quidem Juri suo reformandi ponere, illud
vero in totum abdicare nequit.

EX JURE CIVILI ROMANO.

I. Pupillus sine Tutoris auctoritate contrahens com-
pacientem quidem obligat, ipsi tamen non obligatur.

II. Bonæ fidei possessio fructuum ex alieno fundo per-
ceptorum Dominium aquirit revocabiliter.

III. Dominus prædii dominantis dominum prædii
servientis adigere non potest ad reficiendum id, quo præ-
diū reddatur idoneum præstandæ servituti.

IV. Commodatarius in communi periculo res com-
modatas propriis præferre tenetur.

V. Contractus emtionis solo consensu perfectus peri-
culum rei venditæ ante traditionem in Emptorem transfert.

VI. Socius dolose renuncians Societati, socios liberat,
ipse non liberatur.

VII. Mandans Mandatario, licet hic in quantitate
excessum fecerit, obligatur tamen ad summam concurren-
tem.

)()

VIII.

VIII. Qui factum promisit, non satisfacit obligatio-
ni, offerendo id, quod interest.

IX. Negotiorum Gestor non nisi culpam levem præstat.

X. Etiam Canone per 30. annos non soluto, Em-
phyteusis non præscribitur, nisi possessio legitime mutata
sit.

XI. Debitori contra Creditorem Pignus detinentem
per actionem Pignoratitiam æterna est auctoritas.

XII. Exceptio SCti. Vellejani etiam mulieris inter-
cedentis Fidejussoribus prodest.

EX JURE FEUDALI LONGOBARDICO.

I. Feudum quoddam in specie consideratum, Fran-
cum est, si servitorum in Investitura nulla sit facta
mentio;

II. In eo, quod simpliciter Pro Hæredibus conces-
sum est, etiam hæredes Allodiales succedunt.

III. Feudum ex Paæto & Providentia est illud, in
quo tantum masculi a primo aquirente descendentes, &
implicite saltem in Litteris Investituræ comprehensi suc-
cedunt.

IV. Feu-

IV. Feuda Ecclesiastica haud præsumuntur fæmina.

V. Feudi novi Dominus inhabilem scienter investiens, idem vitium in hujus Vassalli bæredibus remisisse censetur.

VI. Feuda præscriptione 10. vel 20. annorum aquiruntur.

VII. Qui Jure Agnationis strictè sic dictæ in Feudum succedit, æs alienum suo ab antecessore contractum non solvit;

VIII. Limitatur tamen hæc regula quoad debitum feudale aut sic dictum fideicommissarium, utpote quod successorem feudalem stringit.

IX. Ob solum Delicti feudalis conatum Vassalus Feudo regulariter privari nequit.

EX JURE CRIMINALI.

I. Genuinus pænarum finis est salus publica;

II. Hæc proinde in convictos citra confessionem determinari possunt.

III.



III. Torturam quidem, utpote Lege Imperii publica stabilitam e Foris eliminare non ausim, violento tamen hoc veritatis eruenda remedio summa cum circumspectione utendum arbitror.

IV. Non sunt frustranea, quæ de Magia sanciuntur; licet enim tam frequens non sit, ut vulgo timent, ejus tamen existentiam negare, non præsumo.

V. Exploratio pulmonum in casu infanticidii debile contra suspectam argumentum, fortius pro illius Innocentia facit.

VI. Reparato damno, pœna ordinaria Furti simplis non habet locum.

VII. Lædens læso etiam propter dolores tenetur.

VIII. Pœnæ capitalis executio eventu quodam interrupta, iteranda est, & consummanda.



Kp 4130

ULB Halle
003 085 937



3

Sh

v218



KDZ

rebs

MC

DISSE
TATI
O SISTE
DE
JURIS, AGC
PRI

UNA CUM SUBJUNCTI
IN ALMA JULIO-DUCA

A
DEO TER C
ANNUENTE IN
P R
PRAENOBILI, CLARIS

D. JOANNE CL
FRANCISC


U. J. D. COM. PALAT. CAES. HAE
EPISCOPI BAMBERGENSIS ET WIR
CONSILARIO AULICO, ATQUE
FEUDALIS ET CRIMINALIS, NEC
TRIBUNALUM PROFESSORE

PRO SUPREMA DOCT
PUBLICAE ERU
TRIBUS RIGOROSIS EXA
JOANNES CO

AUTHOR
IN AU

Die XXX. Augus*ti* MDCC

Typis Francisci Erni



B.I.G.



Farbkarte #13